Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2791

Quelle:
Copyright:

ca ordiatur. Cetera de Autore et Interprete noſtro pleniſſime executus eſt ſupra cit. *Joſeph Sim. Aſſemanus*, cui, quod addam, non habeo, niſi exiſtere, praeter Editiones ab eo allatas, ſaltem *duas* ſine nota temporis: unam V. Sermonum in 4. alteram in *fol.* quae plures Sermones complectitur. Editionem item *Brixianam* 1490. quam illi, ut ait, videre non licuit, factam eſſe per *Presbyterum Baptiſtam Farfengo 1490 die 15. Novembris*, 4. ut nil dicam de altera *ejusd. loci* et *anni*, quam e *Caillio*, non optimae fidei teſte, opera *Jacobi Britannici* peractam excitat *Maittairius*.

XXII. *fol.* 251. Commentarii litis in concilio *Baſileenſi* agitatae de Praepoſitura Cathedralis Eccleſiae *Wratiſlavienſis*, quam *Eugenius* IV. an. 1438. contulerat *Nicolao Goltberg* ejusdem Eccleſiae Canonico, quamque ſibi vindicatum ibat συμμυσης ejus *Nicolaus Gramus* corruptis *Conradi* ſedis illius Epiſcopi literis. Non invenio in *Actis Concil.* nec in *Georgiſchii Regeſt. Chron. Dipl.*

XXIII. *fol.* 259. Oratoris *Friderici Ciliae* Comitis ad Papam *Eugenium* IV. Adlocutio, qua hunc de perpetua Domini ſui obſervantia ſecurum eſſe jubet. Initium eſt: *Exiſtimat certe beatiſſime pater Illuſtris princeps et dominus mihi gratioſus atque benefactor dominus Fridericus Cilie Ortemburge Sagorieque &c. dominus B. V. deuotus filius* &c. Inter alia: *Superioribus namque diebus pulſatus nimia ſollicitudine per multos non tantum minores ſolum, ſimiliter pulſavit illum R. p. d. ludouicus Aquilegen. patriarcha ſuis epiſtolis atque multiplicibus nuntijs quibus neſcio variis perſuaſionibus, vt tue S. gubernacione derelicta ſe ad conuentum quendam loci Baſilien. diuerteret illique ſe adiungeret et adhereret, adheſionemque Regis Romanorum* (Alberti) *et expreſſam ſuam declarationem illi procuraret* &c. ſed perſtiturum illum fortiter contra haec omnia &c. Acta haec poſt an. 1436. quo *Sigismundus Cilejae* Comites Principum titulo condecoravit, non extant in *Collect. Concc.* nec in *Manſii Suppl.* Oratoris nomen paullo inferius innoteſcet.

XXIV. *fol.* 259. p. 2. Schema *Repetitionis* pro conſequendo *gradu* in Iure Canonico in Academia *Patavina*. Incipit: *Conſtitutus in preſentia Venerabilis et eximii Decretorum Doctoris domini Antonij Zeno Canonici Papienſis et Vicarij in ſpiritualibus generalis Reverendiſſimi in chriſto patris et domini domini Petri Donato dei et apoſtolice ſedis gratia Epiſcopi Paduani* &c. Scriptum igitur ante an. 1447. quo *Petrus Donatus* obiit. Speciminis loco differitur in Can. *Sententia paſtoris XI. q. 3.* et in C. *cum teneamur de app.* Quibus excuſſis ſubditur: *Poſtea ſurge et dic: Egregij &c. expeditus de punctis mihi per dominationes v. aſſignatis me ſubmitto.* Item Elenchus *expenſarum in primo examine* ſat luculentarum, in quo praeter *trumpetas* et *Cyrotecas* etiam 16. *Angaſtarii*

(Ang-